



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

IV. De rebus Sacerdoti prohibitis in specie: ne sit vinolentus: ne
comessationibus illicitis, aut vanis confabulationibus det operam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

CAPVT IIII.
DE REBVS SACER-
DOTI PROHIBITIS:

IN SPECIE:

MAXIME NE, SECVNDVM
APOSTOLVM
SIT VIOLENTVS, NE PER-
CVSSOR, NE LITIGIOSVS,
NE CVPIDVS,
NE TVRPIS LVCRI CVPIDVS,
NE NEOPHYTVS, NE SVPERBVS,
NE IRACVNDVS.

Non vinolentum.

NE SIT VIOLENTVS
SACERDOS:

NE COMMESSATIONIBVS
ILLICITIS, AVT VANIS
FABVLATIONIBVS, DET
OPERAM.

SVMMARIVM.

VINVM bibere Sacerdotibus prohibitum in
veteri lege, & quare. I. II.
Et acetum, & vnae recentes, & siccae, &
quidquid ex ipsis exprimitur. 2.

9

Vinum

Vinum est res luxuriosa, & ebrietas tumultuosa; & qui in his delectatur, non erit sapiens. 3. 7. 8.

Quia irritationem, & iram, & amaritudinem anima generat. 5.

Vacantes potibus, & dantes symbola consumentur. 4.

Neque enim licet Sacerdotibus auide epulis operam dare, aut alios ad potus aequales inuitare. 6. 9. 12.

Nec tabernas ingredi, edendi, vel bibendi causa. 13.

Nec conuiuia facere de symbolis; nec ante horam diei tertiam, nec nisi hymno dicto, & post cibos gratia referantur. 14.

Inter epulas cantans Clericus excommunicetur. 22.

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium. 15.

Eius effectus, & descriptio. 16.

Ebriosis poena. 17. 18.

Non vsum vini, sed abusum damnat Apostolus. 23.

Satius est enim modico vino vti, quam multa aqua per auiditatem ingurgitari. 24.

Vini modici commendatio. ibidem.

Gulae deditus raro emendatur. 19.

Eius voluptas est brevis durationis. 20.

Edacitati obnoxii ad Sacerdotium non promoueantur. 21.

Vitanda satietas, etiam vilium ciborum. 25.

Clericus enim escis plenus impeditur ad vigilias. 26.

Ineptæ, & aniles fabulae, & quæ nimios risus, & chininos excitant, deuittandæ. 10. 27.

Confertum quid. 14.

Tertia hora cur sacra dicatur. ibidem.

VINVM

VINUM, & omne quod inebriare potest, non
bibetis tu, & filij tui, quando intratis in ta-
bernaculum testimonij. *Leu. 10.*

Acetum ex vino, *ut sup. c. 1. de leuibus peccatis,* 2
num. 1.

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: 3
quicumque his delectatur, non erit sapiens.
Prou. 20.

Vacantes potibus, & dantes symbola consu- 4
mentur. *Prou. 21. 23.*

Vinum multū potatum irritationem, & iram, 5
& ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum
multum potatum, &c. *Eccl. 31.*

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te 6
effundas super omnem escam. *Eccl. 37.*

Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrieta- 7
te, absorpti sunt à vino. *Isa. 28.*

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes. 8*
3. Quasi dicat: Non sis gulosus, non sis luxuriosus. S.
Thom. super ep. 1. ad Timoth. 3.

Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu. *Col. 2.* 9

Ineptas, & aniles fabulas deuota. *I. Timoth. 4.* 10:
1. Timoth. 2.

Vinum, & quidquid inebriare po-
test, quare Sacerdotibus prohibitum.

VINOLENTVM Sacerdotem & Apostolus dam- 11
nat, & vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui mini- *Ephes. 5*
strant in templo Dei, prohibentur vinum, & sice- *Leu. 10:*

ram bibere; ne crapula, & ebrietate aggraentur corda eorum, &c. Quidquid inebriat, & statum mentis euertit, fuge similiter vt vinum. Nolite, ait Apostolus, inebriari vino, in quo est luxuria, &c. Qui altario seruiunt, vinum, & siceram non bibant. *S. Hieron. dist. 3 §. c. eod.*

Sacerdos abstinere debet à crapula, neq; alios ad æquales potus inuitare.

- 12 A Crapula, & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, vnde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi, à superiore commonitus, satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur. *Innoc. 3. de vita & hon. cler. c. eod. S. Basilius oratione 16. de ingluvie & ebrietate. S. Bonauen. in Spec. discip. partic. 3. c. 4.*

Clerici, edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

- 13 *Canon. Apostolorum § 4. Concil. Carthag. 4. c. 25. Laodicensem c. 24. de vita, & hon. cler. c. pen.*

Non

Non licet clericos conuiuia facere de symbolis, nec ante horam diei tertiam nec nisi hymnus præcedat cibos, & gratiarum actio subsequatur.

Non licet Sacerdotes, vel clericos, sed nec re- 14
ligiosos laicos conuiuia facere de a confertis: nec oportet clericos, vel laicos religiosos ante b sacram diei horam tertiam inire conuiuia: nec aliquando clericos, nisi hymno dicto, comedere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre. *Ex decretis Martini Episcopi Bracharensis, non Papæ dist. 44. cap. 10. c. non oportet. 2. Conc. Cartha. 4. c. 12. Africanum. cap. 5.*

a Confertum] est, quando plures conferunt quippiam ad conuiuia facienda. Quod Græce dicitur Symbolum. Concil. Laodic. c. 55.

b Sacram horam diei tertiam] Hæc hora, quæ apud Italos Aurea, hic Sacra appellatur: vel quia Spiritus sanctus super Apostolos adueniens mirificis eandem horam dedicauit mysteriis, vel quia apud omnes fere Ecclesias in ea sacra Missarum solemnia celebrantur cum psallentio communi, vt verbis vtar Ruperti Abb. de diuinis officiis. l. 10. c. 18.

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium.

Cardin. Petrus Rauennas.

15

Ebrietatis effectus, & descriptio.

EBRIETAS perturbationem gignit mentis, furor- 16
q 3 rorem

rorem cordis, flammam libidinis: ebrietas ita mentem alienat, vt vbi sit nesciat, vnde etiam & malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. *S. Isidorus de summo bono l. 2. c. 43. S. Bonauen. de sex alis Seraph. de tertia ala. Ebriosis viri descriptionem elegantem vide apud S. Basilium oratione 16. de ingluie, & ebrietate.*

Pœna ebriosis.

- 17 EBRIETAS, insignium flagitiorum incitatrix, & scaturigo, quæ in comessationibus & conuenticulis dominatur, Ecclesiasticum gradum summa cum turpitudine passim infamauit, &c. Qui turpiter illi vitio iudulgent, immorigeri, ab officiis, & beneficiis Ecclesiastica censura, & Synodi auctoritate primum suspenduntur. Deinde, si ei impudenter detestandæ consuetudini, & dictu pariter, & visu fœdissimæ vltius in hæserint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit, maioribus suppliciis affectos statuit abijciendos. *Concil. Treuer. de temulentia clericorum.*

De eodem.

- 18 ANTE omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio. *Concil.*

Agath. dist. 35. c. fin.

Gulæ

Gulæ deditus raro emendatur.

MVLTO ego animaduerti sæpe, qui, cum alte- 19
rius cuiusuis generis vitiis laborarent, ad sanita-
tem tamen redierint postea; qui autem gulæ mor-
bo tenerentur, vt aut in occulto hæsitare eos de-
lectaret, aut ventris ingluuie duci se finerent, ne-
minem ex omnibus vidi vmquam, qui conualue-
rit, &c. *S. Basiliius serm. de abdicat. sæculi. S. Gregor.*
Moral. lib. 30. c. 13.

Gulæ voluptas, brevis durationis.

VOLVPTAS gutturis, vix duorum habet longi- 20
tudinem digitorum, non durat, nisi quantum du-
rat transitus ille per gulam; & pro illo trausitu vult
domina gula tot, & tanta sibi præparari. *S. Bernard.*
serm. 12. de conuers. ad Cler.

**Edacitati obnoxij ad Sacerdotium non
promoucantur.**

Si Laicis commestationes damnabiles sunt, 21
multo magis Sacerdotibus imputantur ad gehen-
nam. Venter enim pinguis, vt ait Hieronymus ad
Neopotianum, crassum sensum generat, cum Sa-
cerdotalis sensus contra vigil esse debeat, & te-
nuis. Atque ideo edacitatis vitio obnoxij in Sa-
cerdotes vngi non debent. Hi enim, vt Gregori-
us ait, qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequa-
quam per prædicationis vsum præesse ma-
gistro cæterorum debent. *Grat. dist.*

lib. 23.

Moral.

cap. 12.

44. cap. fin.

Cantans inter epulas Clericus excommunicetur: scurra, & iocularis acerrime corripatur.

- 22 INTER epulas cantantem clericum excommunicationis sententiæ seueritate coërcendum decernimus: scurrilia, iocularia, risumque mouentia verbaloquens acerrime corripatur. *Concil. Cartha. 4.c.60. & 80. dist 46.c. clericum.*

Non vsum vini, sed abusum damnat Apostolus.

- 23 *Claudius Guilliandus super epist. 1. ad Timoth. cap.3.*

Satius est, modico vino vti, quam multa aqua ingurgitari.

- 24 SATIVS est modico vino vti propter infirmitatē, quam multa aqua ingurgitari per auiditatem: quia & Paulus Timotheo modico vtendum vino consuluit, & Dominus ipse bibit, ita, vt vini potator appellatus sit, Apostolisq; bibendum dedit; insuper ex eo Sacramenta sui sanguinis condidit: cum eo contrario aquam ad nuptias bibi non passus sit; & ad aquas contradictionis populi murmur terribiliter castigauerit Dauid quoq; aquam, &c. *S. Bernard. in Apolog. ad Guiliel. Abbatem.*

Vitanda satieras, etiam vilium ciborum.

- 25 *Vide sup. p. 2. c. 2. §. 1. de sobrietate, & temperantia. c. non solum, n. 32.*

Cle-

Clericus escis plenus impeditur ad Vigili-
lias.

SICUT miles plurimo onere prægrauatus præ- 26
peditur, ita monachus, vel Clericus impeditur ad
vigilias, cum escarum plenitudine torpescit. *S. Ba-
silii in regula, & in oratione secunda de Ieiunio.*

Vitandæ confabulationes, quæ nimios ri-
sus excitant, & cachinnos.

ABHORRERE debemus ab illis confabulationi- 27
bus, & colloquiis, quæ nobis intolerabiles quos-
dam risus excitare solent. Væ vobis, qui ridetis,
quia flebitis. Et, quod nihilominus occasiones
queramus ad ridendum, & liberiori cachinno in-
dulgendum, idque inde consequamur, ut in hac
vita modico quodam tempore rideamus, in alia
vero in perpetuum defleamus. *S. Ambros. l. 1. Offi-
ciorum, c. 21. Alia vide sup. p. 2. c. 2. §. 1. de sobrie-
tate, & inf. c. 16. Ne sacramenta rite
non dispenset, si per ebie-
tatem, n. 12.*

